

# PONTIFICALIS ROMANI

## PARS PRIMA

### PONTIFICALE ROMANUM

Clementis VIII. ac Urbani VIII. jussu editum,  
postremo a Ss.mo Domino Nostro Benedicto XIV. recognitum et castigatum  
Venetiis MDCCXXIII. Apud Haeredes Balleonios  
Typ. ac Edit.

## DE MINORIBUS ORDINIBUS

---

**Q**uartuor minores Ordines dari possunt extra Missarum solemnia, diebus Dominicis, & Festivis duplicibus: sed in mane tantum. Ordinandi omnes ad quatuor minores Ordines esse debent superpelliceis induiti, cum candela in manu dextera.

---

## DE ORDINATIONE EXORCISTARUM

Ectoribus ordinatis, Pontifex reassumpta mitra accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium, ad cornu Epistolæ, ubi sedens cum mitra, oblato sibi libro & candela, legit secundum Graduale, vel secundum Alleluja, si sit infra Octavam Pentecostes. Interim cantatur a choro ipsum Graduale, vel Alleluja. Quo finito, surgit Pontifex deposita mitra, & versus ad altare cantat tertiam Collectam. Tum sedet, reassumpta mitra, & cantatur tertia Lectio. Interim accedunt duo Capellani cum libro & candela ante Pontificem, qui ex eo legit Lectionem ipsam. Quibus dictis, revertitur ad faldistorium ante altare, & sedet cum mitra. Exorcistæ vero vocantur per Archidiaconum modo consueto, dicens: Accedant, qui Ordinandi sunt ad officium Exorcistarum. Et ipsi singulatim nominantur per Notarium, ut prius dictum est. Quibus coram Pontifice cum candelis in manibus genuflexis, Pontifex admonet eos, dicens:

**O**rdinandi, filii charissimi, in officium Exorcistarum, debetis noscere quid suscipitis. Exorcistam etenim oportet abjicere dæmones, & dicere populo, ut, qui non communicat, det locum; & aquam in ministerio fundere. Accipitis itaque potestatem imponendi manum super energumenos, & per impositionem manuum vestrarum, gratia Spiritus sancti & verbis exorcismi, pelluntur spiritus immundi a corporibus obsessisis. Studete igitur, ut sicut a corporibus aliorum dæmones expellitis, ita a mentibus & corporibus vestris omnem immunditiam & nequitiam ejiciatis; ne illis succumbatis, quos ab aliis, vestro ministerio, effugatis. Discite per officium vestrum vitiis imperare; ne in moribus vestris aliquid sui juris inimicos valeat vindicare. Tunc etenim recte in aliis dæmonibus imperabitis, cum prius in vobis eorum multimodam nequitiam superatis: Quod vobis Dominus agere concedat per Spiritum suum sanctum.

Post hæc Pontifex accipit, & tradit omnibus librum, in quo scripti sunt exorcismi, cuius loco tradi potest Pontificale, vel Missale, quem manu dextera tangunt, Pontifice dicente:

**A**ccipite, & commendate memoriae, & habete potestatem imponendi manus super energumeos, sive baptizatos, sive catechumenos.

Postea vero, omnibus devote genuflexis, Pontifex cum mitra stans, dicit:

**D**eum Patrem omnipotentem, fratres charissimi, supplices deprecemur, ut hos famulos suos bene + dicere dignetur in officium Exorcistarum: ut sint spirituales imperatores, ad abjiciendos dæmones de corporibus obsessis, cum omni nequitia eorum multiformi. Per Unigenitum Filium suum Dominum nostrum Jesum Christum : qui cum eo vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. **R.** Amen.

Tunc conversus ad altare, deposita mitra, dicit: Oremus. Et Ministri subjungunt: Flectamus genua. **R.** Levate.

Et mox conversus ad Ordinatos genuflexos, dicit:

**D**omine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene + dicere dignare hos famulos tuos in officium Exorcistarum, ut per impositionem manum & oris officium, potestatem & imperium habeant spiritus immundos coercendi; ut probabiles sint medici Ecclesiæ tuæ, gratia curationum, virtuteque cælesti confirmati. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. **R.** Amen.

Post hæc, suggeste Archidiacono, redeunt ad loca sua.